

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 68.

---

*Secretum litterarum commercium inter Vivos  
et vita functos.*

---

Elysium-Meum.—Die Veneris 29 Sept. 1809. (Neov. 12. Sept. 1809.)

---

Balbino ex Campis Elysiis moestus super hodiernis  
belli temporibus.

**A**bsint, dilecti! ob horrenda vitæ vestræ tem-  
pora nenæ, luctuque moestus & querimo-  
niæ! nihil novi sub sole. Secunda & adver-  
sa fortuna alternis se excipiunt vicibus, mul-  
ta renascentur quæ jam cecidere, cadentque  
quæ nunc sunt in honore. —

Hodiernum bellum? adeo terribile, adeo  
infaustum esset? — Moesta anima! quid ais?  
an quæso! calamitates & molestias belli tri-  
cennalis legisti? age, confer tempora præteri-  
ta præsentibus, & reperiēs: illa ut infernus a  
paradiso ab his distare, animus fert ad con-  
traria illustranda, excerpta ex opusculo, histo-  
rioi & politici argumenti, faciem illius tem-  
poris adumbrare, faveto:

Ex tempore regiminis Caroli V Impera-  
toris ea politica Europæ facies enata est, quam  
magna hodièdum vigentis generationis pars,  
pauculis demtis exceptionibus, perspectam  
habuit. Repentina Russici Colossi ex suis te-  
nebris adparitio veloxque Principum Domus  
Brandenburgicæ incrementum rationem status

populorum sub medium primo superioris sæ-  
 culi mutavit, aut potius extendit solum.  
 Duo tantum Status dirimentes eminebant, in  
 in quorum societate reliqui mutatis vicibus par-  
 tim momentaneis necessitatibus, partim pri-  
 vatis suorum Imparantium affectibus ducti sce-  
 nam subiverunt. Jam metus universalis Mon-  
 archiæ hispano Austriacæ domus minus po-  
 tentes Status Galliæ alligaverat, totidem vi-  
 cibus jabominatio usurpationum hujus, eos  
 in sinum illius rejecit. Hæc principio Secu-  
 li XVII familiæ discordiis, sinistraque poli-  
 tica agendi ratione, jacturæ plurium regnorum  
 exposita, salutem restituit non modo virium  
 suarum intensione, ingenioque suorum belli-  
 ducum, verum paucorum annorum spatio po-  
 tentiam suam præstantiorem firmioremque  
 redditam advertit. In hoc articulo arbitra-  
 ria agendi ratio, & dilatio finium luctam jam  
 finitam, & pro ea adeo faventer decisam pro-  
 rogavit, boreales reges, *Christianum* primo hu-  
 jus nominis *quartum* Daniæ, tum Sæculi sui  
 heroem, *Gustavum Adolphum* Svecorum in Ger-  
 maniam accivit; eodem illo tempore, cum de-  
 bilis Ludovici XIII. minorennis ætas absoluta,  
 Galliæ regimen e manibus imperitorum Cli-  
 entum ad singularem virum *Card. Richelieu* de-  
 rivatum fuisset, tum bellum per continuum  
 præcipuarum partium æquipondium terribilem  
 & ratione spatii & temporis extensionem con-  
 sequebatur, quantam nullum adhuc in recen-  
 tiore Europa habuit; ambitu quippe suo non  
 modo quemvis spatiosæ eorum Germaniæ

comprehendit angulum, verum notabilem quoque vicinorum Statuum partem; cumque consuetis politicis bellandi motivis diu suppressa animorum exacerbatio accesserit, religio ab utraque parte sæpe ut præcipua causa assignata, eaque per exercitus comites Sacerdotes continuo allegata fuerit; quoniam porro, præcipue utriusque exercitus copię, maximaque ductorum pars, qui pro emolumento Germaniæ pugnare se prætextuabant, extraneis constabat, qui sterili sæpe patria excefferunt, suamque, fortassis non diu duraturam moram, in florente eorum Germania ad exsatiandam habendi libidinem suam, ad conquirendas opes convertere omnimode contenderint, cum porro: primis præsertim belli annis, illud non exercitus in stipendiis principum, quorum jura defendebant, constituti, verum partim temeritate ferocientes, more eorum quos olim Itali *Conductores*, (*Condottieri*) vocarunt, ad rationes provinciarum, quas ingressi, alti, & aere provisi gesserint, denique cum eorum inculta adhuc res æraria Duces regularis militiæ aëris plerumque indigos reddiderit, his inquam de causis factum est: ut bellum hoc feritate, & pervertente ratione agendi se distingueret, cujus similia exempla pauca annales orbis memorant. Intra decursum horum annorum 30 amplius mille pagi incinerati. *Bernardus Saxo Vimaricensis* 300, *Gustavus Adolphus* 400 pagos in Bavaria & Svecia intra 48 horarum intercapedinem succendi iussere. Svecios Bellidux

*Adamus Pful*, gloriatus est: se solum 800 Bohemicas possessiones in bustum redegisse, miseris incolis cum desolatis conjugibus prolibusque nihil restabat, quam opem & praesidium in castris suae parti addictorum quaerere. Magna opificum in urbibus pars, tum ultro, tum vi adacta, militiam secuta; exercitum euntem secuti centuplici ratione belli auxere calamitates. Proecedentibus annis malum in immensum crevit, ita exercitum *C. a Gallias*, 8000 circiter constantem, turba 70 — 80000 hominum omnis aetatis conditionisque sequebatur, agri inculti jacebant, patentes dirptionibus praedae avidarum copiarum ex diversis nationibus conflatarum dira & plus quam Punica Crudelitate euncta depascentium. Fames usque invaluit: ut nec sepulcris parcitum, vigiliisque provideri debuere, ne humata Cadavera a concivibus subducta in vitae alimenta convertantur.

Sed non homines modo, sequelas furentis Bellonae experti, aeternae ejus in Germania saltim universam vegetantem naturam adfecerunt.

Animalia domestica, quorum diminutio quodvis bellum consequitur, in hoc absque omni moderatione gesto bello penitus ferme extirpata sunt. Ita Dux *Savelli Caesarearum* copiarum, quosvis Colonorum *Demminensium* & regionis equos, emtore non comparante carnifici erga vile pellium pretium jugulandos tradidit.

Feræ quoque communis Calamitatis participes factæ. Animantes conspectum hominum alias fugientes, iisque adpropinquantibus recedentes naturæ suæ oblitæ visæ, inediaque in furorem actæ ipsos adoriri homines ausæ.

Famis comes tabes, Germaniæque ad finem hujus formidabilis belli Incolarum numerus, fide edocti *patriotæ*, 4 effecit milliones.

Plura adjuncta, quorum explicatio admodum interesset, hic tamen prolixa nimis foret, rationem nobis præbent, Populationem Germaniæ erumpentis belli tempore parum diversam statuendi ab hodierna; desunt quidem fontes, e quibus status impopulationis in singulis Germaniæ provinciis eo orto cognosceretur, quantusque numerus hostili partim ferro, partim incendio, lue, fame, ærumnis, licentia morum, emigratione occiderit; ex datis nihilominus singularium Urbium, & provinciarum *universalem* licet eruere *Conclusionem*; occasione destructionis *Magdeburgi* 19000 Incolæ vitam amisere; 1400 solum, Cives mulieres liberique discrimen evasere; *Franckenthalia*, Urbs 1800 Incolas, plurimum artifices fabricantesque complexa, ad 324 redacta; *Württembergica* ante bellum 500,000 Incol. alens, A. 1641 septem ante Pacem *Vestphalicam* annis ægre 48,000 numeravit. Sex adhuc post pacem annis, cum fugitivi ex *Helvetia* pridem lares repetissent, in ditione *Württembergica* in ratione status ante proelium ad *Nordlingam*, quod anno 1634 proin 16

annis jam ab inchoato bello commissum est, 500,000 patresfamilias desiderati, 40,000 jugera vinearum, 270,000 agrorum desolata; prata & horti inculti jacebant; 300 domitalia & Communitatum, 36,000 privatorum ædificia in cineribus erant. In universa Bohemia nulla urbs, arx, oppidum, quod expilatum, litro bellico gravatum, aut succensum non fuisset. Synchrono *Balbino* mira res visa: exacto bello Bohemiæ aliquot Incolas esse, post tot Clades, incendia, expilationes, exilia! —

Præter hæc plures terrarum tractus & provinciæ depopulatæ, aut defectu hominum desolatæ jacebant. Multi anni post pacem effluxere, usque dimidia solum desertarum vinearum agrorumque pars culturæ subjecta; aliquibus in regionibus prior flos rediit nunquam. — Ita Bohemia ante bellum frugibus adeo abundabat, ut promptuarium vicinarum provinciarum censita fuerit! —

*Parisis die 8. Sept.* Monitor hesternus seqv. ex Hispania vulgat. „Sextum agmen sub imperio Ducis Elchingen. die 12. Aug. Placencia Salamanciam progressum, ubi Olivam pertigisset, comperit ab hoste validis copiis Aldenam novam del Caminho, præprijis saltus pilasque *del Banos* occupatas; præcursoria turma duce Loroet reapse ad Aldenam novam in hostem incidit, adgressionem victoria mox consecuta, statio occupata, tertiaque legio Hussarorum elegante impetu hostem tuldit, hic minorum sub scloporum ictibus

principi in collibus Banos agmini, se adiunxit — Gen. Dux *Wilson* eos 4 hispanis, binis portugallicis, tum 1000 qui Civitate Roderico advenere, in summa 4—5000 viris insedit. Propemodum invincibili naturali locorum situ, consecis arboribus, vallis, fossis rupiumque parietinis firmiorem stationem reddidit.

Utrumque Copiæ ad Banos conjunctæ, itum in hostem est. Miles in hoc articulo rerum 9 horarum, flagrantissimo sub sole confecti itineris molestias oblitus est. Legio 50 & 59 summa velocitate impetum fecit, potitque editis est. *Wilson* collectis denuo copiis adgressionem repetiit, quod quidem ei molimen exitio fuit. Præcursoria cohors rursus se collegit præliumque hastis soloporum commissum, in quo hostis succubuit. Hussari & venatores cladi colophonem adjecere. Ultra Majorem Montem & Calzadam eum persecuti. — Modicum hoc exercitus agmen 1200 in loco pugnæ relictis enormem jacturam passum, Equites nostri in pluribus locis ut pedites dimicantes æque ac res tormentaria excelluerunt.

Miles 50mæ legionis vexillum hosti eripuit. Captorum testimonio reliqua dilacerata penitusque fossis injecta sunt. Sextum agmen in progressu suo aliquot minora hostilia agmina intra montes se recipientia dispulit. Salamanciæ 1400 pedites & 400 equites Duce *Castrofuerto*, qui ubi fauces ad *Banos* superatas intellexisset, illico receptum ad Civitatem

Rodericum ingressus est. Agmen 6tum die 14. Salamenciam subiit, ab Incolis præsertim Episcopo loci comiter exceptum, omnibus de alimentis exercitus curam habentibus."

*Vindobona die 2. Sept.* Fertur princeps hospitium Castrense ex fonte bellaqueo Posoniam translucandum. Die 31. Aug. Imperator 2 hora matutina viam versus Hungariam ingressus (Parisinae paginae 1. Sept. vesperi ad fontem bellaqueum reversum ferunt) Exercitus Gallicus promte lineam Inducialem occupat. Austriaci regionem Olomucensem aquis circumdederunt. Tergesto ob restantem Contributionem denuo 30 obsides abducti.

*Amstelodamo 7. Sept.* Die 4. natalis regis nostri sollemniter celebratus est — Vesperi Congressus festivus habitus, sub quo Cursor adpulit læto cum nuncio: Anglos castro Batz & Insula Sud Bavelandia decessisse.

Solennia quoque Ordinis celebrata, quorum occasione rex elegantem orationem habuit.

Contenditur: a Sua Maj. novum equestrem *Ordinem-Ludovicum* erigendum, fascia candida lucido coeruleis ductibus.

### B I O G R A P H I A.

*Balbinus* (Bohuslaus Balbinus) natus in Bohemia Reginogratiæ A. 1626 Societatem Jesu ingressus A. 1689, ætatis 78 supremum diem obiit. Erat Coævus bello tricennali, sub quo ærumnas provinciæ, hominumque, præsertim Bohemiæ, descripsit. Inter plura quæ reliquit opera, memoratu dignissima: *Epitome rerum Bohemicarum.*